Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



cclm 260

sicut in principio. Et erit in die illa: effundam super domum
David et super habitatores hierusalem spiritum gratie et precum. Et aspicient
ad me quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi
unigenitum: et dolebunt super eum ut dolet super unico
primogenito. In die illa magnus erit planctus in hierusalem:
sicut planctus ad adrimon in campo mageddon. Et dicet
ei. Quid sunt plage iste in medio manuum tuarum? Et dicet.
His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.
Framea suscitare super pastorem meum adherente mihi:
dicit dominus exercituum. Percute pastorem et dispergantur
oves. Et convertam manum meam ad parvulos. et erit
in omni terra: dicit dominus. Partes due in ea dispergentur.
Deficient: et terra parva relinquetur in ea. Etducam
tertiam partem per ignem: et uram eos sicut uritur argen-
tum. et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse invocabit
nomen meum: et ego exaudiam eum. Dicam populo meo
es: et ipse dicet dominus deus meus. Secundum iohannem.

Ante sex dies paschae venit ihesus bethaniam ubi fuerat
lazarus mortuus quem suscitavit ihesus. Fecerunt
autem ei cenam ibi: et martha ministrabat. Lazarus
autem unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo
accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi et unxit
pedes ihesu: et extersit capillis suis pedes eius et domus
impleta est ex odore unguenti. Dicit ergo unus ex disci-
pulis eius iudas scariothis: qui erat eum tradituus.
Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis. et
datum est egenis. Dixit autem hoc non quia de egenis
pertinebat ad eum: sed quia fur erat. Et marsupium habens
ea que mittebantur portabat. Dixit ergo ihesus. Dimite